

Ralle



1731, 22⁶ 27
FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Streit, JCtvs,
EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIÆ,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

1731



Omnis Deus omnipotens per implantationem animæ hominis & hunc quoque effectum indidit, ut prior esset ad dandum, quam ad accipendum. König. ad Decretales de donat. §. 4. n. 6. ipsa etiam natura homines hominibus prodeesse jubet, & nihil liberalitate naturæ hominis est accommodatus. Hinc Plutarcbus lib. de disp. Philosophorum Epicurus, inquit, non modo pulchrius dicit esse beneficio afficere, quam affici, verum etiam jucundius, nam nulla res perinde parit gaudium ac beneficentia, quapropter multi sc̄e pudore suffunduntur, cum beneficium accipiunt, semper autem gaudens, cum beneficium præstant, ita ille. Ut ut autem non negandum, id fallere in homine avaro, qui gaudet magis accipere, quam dare; hoc tamen non ex natura, sed ex vitio, seu perversa natura procedit: ad naturam enim nostram spectat, quod extra vitium est; extra vitium autem est, id, quod beatius nobis est, amplius amare, & idem nobis jucundius esse, beatius vero est magis dare, quam accipere, uti affirmat Apostolus act. 20. Ob hanc etiam causam multoties liberales in prodigalitatem declinant, adeò quidem benefientiâ gaudent, ut plus

plus quam possint, & par sit donis alios afficere nitatur. Quare nihil sine ratione faciendum est; non est autem beneficium, ait Seneca lib. 4. de benef. cap. 10. nisi quod ratione datur: quoniam ratio omnis honesti comes est. Quam saepe hominum donationem suam inconsultam objurgant, hanc audivimus vocem, mallem perdidisse, quam illi dedisse! Turpissimum genus damni est inconsulta donatione multoque gravius male dedisse, quam non recepisse. Alienam enim culpa est, quod non recipimus: quod cui daremus non eligimus, nostra. Cum igitur causa remota donationis sit jus naturale KÖNIG dict. §. 4. & jure hoc homo multas habeat operationes liberas, & proinde incertas atque indeterminatas, vallens. in proleg. §. 3. n. 1. ut recte & juri conformiter eligere & etiam in donationis materia prudenter procedere possit, regulam habeat, necessaria, est, quam eas dirigat, ut recte rationi sint consonane. Quapropter legum latores etiam varias donationum leges observandas tulere. Quamvis enim inter Patrem & filium naturalis oriatur & subsistat obligatio. Gail. 2. Observ. 38. n. 4. attamen in L. cum de bonis II. & L. sive emancipatis 17. Cod. de donat. eleganter dicitur, destinatio magis paternae voluntatis est, quam perfecta donatio. Aded ut secundum dictas leges inter patrem & filium in patria potestate existentem donatione non valeat. Jul. Clarus §. Donatio Quest. 8. Nec valeat inter virum & uxorem, sed prohibita sit. tot. tit. cod. de donat. inter virum & uxor. & ff. eod. ne vel nimius amor alterutrum ad paupertatem redigat, vel certe ne difficultas donandi, & de negotio rei ab altero desideratae inimicitarum & litium causam præbeat. L. I. & 3. dict. tit. unde tametsi vir de facto uxori, aut uxor viro aliquid donet, semper iterum revocare poterit. Ex

communitamen interpretunt sententia finiatur morte
donantis, si moriatur ante donatarium non facta ante
mortem tacitā, vel expressā revocatione doni. cap. fin
X. X. de donat. inter vir & uxor. L. 32. §. 2. ff. L. 1. §. 3.
cod. eod. Nec refert, an res ante mortem donantis sit
tradita, vel solum promissa, nam donationem conjugalem
simpliciter morte donantis confirmari, evincunt
textus generales in L. 32. §. 1. §. 29. L. 33. ff. de donat. inter
vir. uxor. L. 2. Cod. de dote causa. § Novell. 162. cap. 1. Quod
si donatarius præmoriatur, donatio concidit ex præ-
sumpta donantis mente, quod voluerit soli donatario,
non etiam ejus heredibus donare. dif. cap. fin. L. 18. cod.
d. l. insuper nihil donare potest miles suæ focariæ,
quamvis enim alias etiam in honestæ donationes va-
leant. per L. 5. ff. de donat. Milites tamen meos, inquit
imperator in L. 2. Cod. de donat. inter vir & uxor. à foca-
riis suis hac ratione, fictisque adulacionibus spoliari nolo.
quod etiam ad clericos extendit Rota. Covarruv. incap.
peccatum p. 2. G. 2. n. 2. Quamvis etiam amplum sit of-
ficium, & magna Tutorum & Curatorum auctoritas,
eo tamen potestas eorum se non porrigit, ut ex bonis,
quæ administrant, donare quicquam valeant. arg. L. 28.
§. fin. ff. de pacl. cum officium eorum sit, administrare
bona, non verò perdere. L. 7. princ. ff. de donat. nisi do-
nare velint pro more, & liberalitate ejus cuius bona
administrant. Unde ab hac prohibitione DD. com-
muniter excipiunt Tutores ac Curatores personarum il-
lustrium ac Nobilium Gail. 2. Obser. 72. n. 8. Carpz. p. 2.
Conf. 12. def. 48. n. 4. De Jure Canonico prohibetur
Ecclesiarum Prælatis, ne ex bonis suæ Ecclesiæ immo-
deratas donationes faciant, cum non sint domini, sed
solum administratores; & si de facto in detrimentum
Eccle-

Ecclesiæ donare attentent, tanquam de jure invalidæ à
successore revocari poterunt cap. 2. X. de donat. Concil.
Trid. Sess. 25. de reform. cap. 1. Frequens in Scholis quæ-
stio est: utrum valeat omnium bonorum tam præsen-
tium, quam futurorum donatio? Negativè respondent
Schneidew. ad inst. de donat. n. 86. Clar. lib. 4. senient. §. do-
natio q. 16. Carpz. lib. 5. Resp. 65. Et Gomez. tom. 2. var. re-
sol. c. 4. n. 15. Sed placet affirmativa, quam tuentur Har-
precht ad inst. de donat. §. 2. n. 118. Et alii. Materia seu
objectionum donationis est res, quæ donatur, possunt au-
tem donari res omnes humano commercio obnoxiae.
Forma hujus donationis alia est, si intra definitam legi-
bus quantitatem subsistat, alia si eandem egrediatur.
Illa perficitur vel nudâ conventione, vel annexâ tradi-
tione. Quæ perficitur nudâ conventione, duo deside-
rat, nempe ut animus donandi signis exterioribus suffi-
cienter manifestetur, ac ut promissio acceptetur. Quæ
perficitur annexâ traditione, non desiderat præviam
conventionem, sed hoc tantum, ut ex motivo liberali-
tatis res tradatur, & acceptetur. Donatio, quæ defi-
nitum legibus modum egreditur, insinuationem insu-
per desiderat, quâ sine rata non habetur. L. pen. §. fin. Cod.
de donat. Revocatur autem donatio vel pro parte vel in
totum. Pro parte, si sit inofficiosa, hoc est, si sit tantæ
quantitatis, ut non sit salva legitima, illis quibus debe-
tur. L. 1. Et tot. tit. cod. de inoffic. donat. in totum, si ingra-
tus existat donatarius. L. ult. cod. de revocand. donat. nec
non, quando liberis substitutus alteri bona sua omnia, vel
majorem eorum partem donavit, & postea liberos su-
sccepit, L. si unquam 8. cod. de revocand. donat. quam legem
licet Vinnius seleriarum juris Quest. lib. 2. c. 32. Et ad §. 2. inst.
de donat. Et Bacchov. ad Treutl. vol. 2. disp. 19. thes. 7. lit. E. ad

solum Patronum, de quo loquitur, ideo restringant, quia
decisio ejus nova est, & jus singulare continet; attamen
potior videtur sententia contraria, quam in praxi sequen-
dam esse clariss lib. 4. sent. §. donatio. q. 22. n. 1. Gail. 1. obs.
40. n. 13. Carpz. lib. 5. Respons. 63. n. 4. Et alii tradunt. Ex hac
præcipue ratione, quod ex donantis mente haec donatio
tacitam conditionem habere intelligatur, ut si liberi ipsi
postea nati fuerint, ad se, siusque liberos, quod dona-
tum est, revertatur: Verisimilius enim est patrem bona
sua, vel partem eorum donaturum non suisse, si de libe-
ris cogitasset. arg. L. 102. ff. de condit. Et demonstrat. Quæ
denique de hac materia notatu digna, publicè ex Cathedra
prolixius deducet occasione dict. L. si unquam 8. cod.
de revocand. doi. at. quam pro lectione cursoria elegit,

PRÆNOMINIS ET CLARISSIMVS

D O M I N V S

JO. FERDINANDVS ANDREAS
LAMMERZ,

Mogonus.

Natus Moguntiae XXIII. Octobris MDCCVII. Patre
excellent. Nobilissimo & Consultis. Dn. GODEFRI-
DO LAMMERZ, Eminentissimi ac Serenissimi Princi-
pis Electoris Moguntini Consiliario intimo, & Consilii
Regiminis nec non judicij Revisorii Directore. Matre
MARIA ELEONORA THERESIA nata MEYERS. Stu-
dia Grammaticalia audivit sub R. P. JOANNE WIL-
HELM Soc. Jes. AA. LL. & Phil. Magistro, nunc Faculta-
tis Philosophicæ in almâ & antiquissimâ Electorali uni-
versitate Heidelbergensi Professore publico ordinario;
& humaniora usque ad Rheticam inclusive sub R. P.
JOANNE SCHLEICHEL, S. J. AA. LL. & Philosophie Ma-
gistro,

gistro, nunc Wetzlarie Philos. Prof. publ. & ordin. tunc
temporis Grammatices & Humaniorum Moguntiae Profes-
soribus. Philosophiam denique triennalem audivit sub
R. P. FRANCISCO SCHWARTZ. S. J. Facult. Philosoph.
Assessore, modò SS. Theologiæ Doctore, ejusdemque
Facultatis in Prælaudata Electorali Universitate Heidel-
bergensi Prof. publ. & ordin. Studium verò mathema-
ticum sub R. P. HENRICO HILLMANN. S. J. in eadem
Universitate Theologiæ moralis & matheseos Prof. publ. &
ordin. quo finito, sub dicto R. P. ERANCISCO SCHWARTZ
S. J. tunc temporis Facult. Philosoph. Decano. in Magistrum
Philosophiae publicè promotus fuit. Post absoluta
studia Philosophica institutiones juris Moguntiae sub
Prænobili, Clarissimo & Consultissimo viro, Dn. JOAN-
NE PHILIPPO HAHN, JCto ac in inclytâ Electorali Univer-
sitate Moguntinâ Instît. Imper. Prof. publ. & ordin. audivit;
iisque absolutis, in alma universitate hujati Nobilissimi &
Consultissimi Domini JOANNIS MICHAELIS ROTER-
MVNDT, J. V. D. ac Profess. iur. publ. ordin. Serenissimi Ele-
ctoris Mogunt. Regiminis hujatis Consil. judicii Eccles. &
Prov. Assessoris, collegia frequentavit, & ad institutiones
juris Hoppium, ad Digesta Compendium Lauterbachii,
ad jus feudale examen Strykii, & ad jus publicum in-
troductionem Schwederi, explanantem audivit. Por-
rò Nobilissimi & Consultissimi Domini de BELLMONT,
Eminentissimi ac Serenissimi Electoris Moguntini Regiminis
Consiliarii & Prof. publ. collegiis publicis ad capitulatio-
nem moderni imperatoris glorioissimæ regnantis, in-
super lectionibus publicis Juris Canonici ad P. Ludovi-
cum Engel plurimum Reverendi ac eximii viri ac Do-
mini JOANNIS CHRISTOPHORI HVNOLDTS, Inst.
Cler. in com. vivent. sacerdotis. SS. Theol. Doct. hujatis ju-
dic.

dic. Eccles. nec non Facult. Theolog. Affeff. Sacr. Canon. Prof.
publ. ordin. insignis Eccles. Colleg. ad B. M. V. Canonici Ca-
pitularis & Decani, interfuit, Denique collegium pra-
eticum à Magnifico Academiæ Rectori Dn. TOBIA
JACOBO REINHARTH, Jcto, Sacr. Palatii Cæsar. Co-
mit. Jurid. Facult. Affeff. & Prof. Cod. Pub. Ordin. Civit.
Synd. & Cons. adornatum frequentavit, ejusdemque ul-
teriori ad praxin manuductione usus est. Tandem ipsi
utile visum est summos in utroque jure honores impe-
trare. Facultati igitur nostræ literis desiderium suum
aperuit, & ad Doctorandorum examen admitti decen-
ter petiit. Petitioni huic annuimus, & more consueto
ex utroque jure textus in Examine rigoroso resolvendos
eidem transmisimus, quos tam exactè resolvit & enoda-
vit, & ad quæstiones propositas tam doctè & solidè re-
spondit, ut ad ulteriora specimenia edenda admissus, su-
premisque jurium honoribus unanimi consensu dignus
judicatus sit. Quare proximâ die jovis, quæ erit II. Octo-
bris, horis consuetis ad dict. L. si unquam g. Cod. de revo-
cand. donat. lectionem cursoriâ, eaque finitâ, Disputa-
tionem inauguralem de PRÆEMINENTIA S. SEDIS
MOGVNTINÆ, EIVSDEMQUE EMINENTISSIMI
ARCHI PRÆSVLIS, PRINCIPIS ELECTORIS
PRÆEMINENTIBVS AC SINGVLARIBVS JVRI-
BVS ET PRÆROGATIVIS, habebit. Ad quos actus
soleennes Magnificus Dominus Rector, nec non Domini
proceres & Cives Academici perhumaniter invitau-
tur. Publicatum sub Sigillo Facult. Jurid. VII. Octob.
MDCCXXXI.

(L.S.)


ULB Halle

3

005 367 751



VDN 8





1731/22-6
27

FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
JO. PHILIPPVS
Sfreit, JCtvs,
EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIA-
RIVS REGIMINIS,

L. B. S.

ERFORDIAE,
Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

1731

